

ant, quo denique quisque subito metu consternatus profugerit, avide expecto audire. Nuper Gundelius Cracovia scripsit, quem ego illi misi veluti umbram, ut eius verbis utar, a Iodoco Decio sero nimis magnis etiam pollicitationibus evocatus; uterque vero te per literas salutare iussit. Lucas Francofordia Nuringam rediit; scripsit mihi epistola proxima Viennæ ad dies singulos interire homines plus minus centum. De epigrammate Græco velim consideres^{b)} melius; ipsum, ni fallor, geometras^{c)} traducit; illius a me barbare redditi oblitus sum. Græcum nondum inspexi; utcunque tibi mos geretur, et meum quaecunque adiiciam^{d)} tuas et Collimitii laudes complexurum. Publicare in animo habeo omne genus poematum meorum: epithalamia, panegiricos, epicedia, pæanas, genethliaca, epistolas, elegias, epigrammata et e Græcis Latina facta. Proinde te oro, si quid apud te est reliquum meorum carminum, ad me postliminii iure reverti sinas; multa^{e)} ad hunc modum dilapsa sunt, et pleraque interiire. Habes enim exploratum, quam indiligens horum fuerim observator. Dedi hoc negotii Grebellio, adolescenti modis omnibus egregio atque in omnes mire officioso^{d)}, qui de aliis quoque, quæ scribere supersedeo, tecum communicabit. Uxorem tuam, honestissimam feminam et, quantum ex fratris indole coniectare licet, adolescentem suavem vel ignoti nomine salutem dices. (!) Tu vale et non pigriteris rescribere. Basilæ, Kalendis^{e)} Octobris, anno etc. XXI

Vester *Caspar Ursinus*.

Clarissimo et eximio domino Ioachimo Vadiano, doctori, medico, philosopho et poetæ laureato etc., amico honorando.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „consyderes“. — c) „gæometras“. — d) „t“ für „c“. — e) „multa“.

— f) „Calendis“.

!) Vrgl. I, Brief 79.

II 49.

280.

Johannes Dantiscus¹⁾ an Vadian.

Krakau. 1521. October 1.

Mitteilung über seine Reise nach Spanien. Bedauern, dass er Vadian wegen der Pest in St. Gallen nicht besuchen konnte. Versicherung seiner Bereitwilligkeit zu Dienstleistungen.

Salve, colendissime Vadiane. Ante duos annos ex Friburgo per Falconem præfectum ad te dedi tales, ut nunc, literas, hoc est temporarias; sed tamen rem ipsam tibi exponere non ausi propter periculum, quod mihi forsan per Gallizantes incubisset. Cogebat igitur, me

ad Sanctum Iacobum peregrinum tibi describere, quum essem serenissimi domini mei ad regem tunc catholicum orator, et egi in Hispania Barcinonæ ultra octo menses. Quæso pro tuo olim amore, quo me prosequeris: necessarium errorem boni consule. In reditu nihil te vidissem libentius; sed quia pestis apud vos passim grassabatur, in aliud iter declinavi. Quum itaque in fatis non fuit, ut coram te et alloquerer et tua dulcissima consuetudine frui possem, ne mei te penitus occuparet oblivio, has ad te, nactus opportunitatem^{a)} istius tui conterranei, dedi, summopere te rogans, ut vicissim aliquando scriptis tuis iucundissimis me consolatum efficias; et si quid vis, quod hic pro te vel in tuorum decus et commodum facere debeam, iube, certum habiturus, nihil me facturum esse lubentius. Faustiter vale cum tua coniuge et si sunt liberis et me, quo cœpisti^{b)}, absentem amore prosequere.

Absentem absens audiat videatque. Cracoviæ^{c)}, 1. Octobris, anno 1521.

Tuus *Ioannes Dantiscus*,

iuris utriusque doctor,

serenissimi Poloniae regis secretarius.

... et eruditissimo domino *Ioachimo Vadiano*, artium et medicinae doctori, poetæ laureato, tanquam fratri charissimo, Santgallensi.

a) „oportunitatem“. — b) „cœpisti“. — c) „e“ für „æ“.

!) Vrgl. I, Brief 30 und Register.

281.

II 50.

Erasmus Fabricius¹⁾ an Vadian.

L und Johannes

Stein. 1521. October 15.

Berufung auf die gemeinsame Freundschaft zu Zwingli. ^{sic} Er bittet Vadian um Beistand, um seinem Bruder den Austritt aus dem Kloster St. Gallen zu erwirken, damit er sich gelehrten Studien widmen könne.

Ioachimo Vadiano Erasmus Fabritius S. D.

Quando amicorum sint omnia communia, maxime congruebat, ut et amicorum amici sint communes, ut ille aiebat apud veteres homo non inelegans humaneque societatis reparator instauratorque. Unde et ego, sententiæ huius autoritate^{a)} audax factus, ad te scribo, homo alioqui et indoctus et immeritus ad hominem doctissimum simul et in quosque bene meritum. Atqui dices fortasse: tene, Zvinglius, Tigurinæ ecclesiæ